

unus aliter cessit e vita, quām quo prae destinati modo solent: suæ compotes mentis ad extremum usque spiritum; in exercendis ore atque animo virtutibus Christianis assidui, summa gaudentes tranquillitate, et è divina voluntatis nutu, seu vivere illos, seu mori juberet omnino suspensi; denique pronunciandis Jesu et Mariæ nominibus sanctissimis, ac pie deosculandis Servatoris crucifixi plagis immortui. Eandem quietæ mentis serenitatem in casibus quamlibet asperis et inexpectatis retinent. Exemplo potest esse juvenis, Paulus nomine, quem imprudens et ignarus Frater miserabili errore interfecit. Navigabant in cymbula, cùm anatum grex advolare conspectus est. Ambo ferreas displodunt fistulas, sed Pauli frater qui pone stabat, suam dispositum in fratris caput, qui corruens et manans sanguine, deponi se rogavit in littore, ac sacerdotem acciri. Sed cum abesset longius, Evocate mihi, ait, Thaouvenhosum (dux ille militum non arte bellica magis, quam pietate Christiana clarus et notus erat). Quem ubi moriens Juvenis aspexit. Avuncule mi (sic à junioribus appellantur ductores copiarum) adjuva me, obsecro, ut paucis, qui supersunt mihi, momentis rectè utar. Dici vix potest, quo affectu, qua vocis et animi contentione Thaouvenhosus morientis auribus actum Contritionis instillaverit, quibus eum verbis ad fidem, spem, caritatem, concessionem cum divina voluntate, excitavit. Oblatas Christi plagas cum pio et supremo libaret osculo, loqui ac vivere desiit. Visus est